

1573?

edictis armisque persequi & late vndique summouere. Confugerant patritii ab Actiolinum à Romano, quem Eccelinum perperam aliqui nominant, qui rei militaris peritia & immanitate crudelis ingenii duces omnes atque tyrannos anteibat. Is Cæsarianarum partium princeps erat, Federicóque secundo dux & miles operam nauarat. Itaque magnis coactis copiis aduersus Turrianos bellum suscepit, transgressusque Abdum in agrum Mediolanensem sese effudit, patritios in patriam reducturus, vlturusque eorum iniurias sanguinaria manu, nisi Dii eam diræ pestis cladem auertissent. In eo enim metu & trepidatione, Martinus constanti animo populum sub signis eduxit, interclusumque tyrannum amne Abdum quum à tergo Vbertus Palauicinus, & Actius Atestinus, Bosiusque Douaria, fœderati principes instarent, commissa pugna superauit, tanta felicitate vt ipse tyrannus Nerone crudelior suo atque alieno cruore perfusus quum sese incitato insigni equo eripere conaretur, viuis in potestatem hostium deuenit, nec multo post in tabernaculo Bosii repudiatis remediis expiravit, quum nullis vel benignis precibus adduci posset, vt bene speraret, & obligari vulnera pateretur, toruis enim oculis ferociam spirans neminique respondens, tot scelerum pœnas effugere accersita morte properabat, ne turpi incertæ vitæ desiderio, ludibriis ignominiaque superesset. Cæterum eo prælio nobilitas prostrata fugatæque est, & Martinus authoritate, gloria, atque opibus adauctus, soluto pudore dominatum arripuit, aboleuitque eius concilii nomen, quod populus sub Credentia nomine instituerat, cuius decretis ipse dudum solenni sacramento adactus se staturum iurauerat. Sed ea moderatione & temperantia Martinus utebatur, vt nullum superbum aut insolens dictum ore vel gestu prorsus excideret: studebat tranquillitati, copia, vbertatique rerum omnium, Paulique Sorefinæ aduersarum partium principis filiam matrimonio sibi copularat, vt & inimicis ducem opulentum detraheret, & pacem atque ocium se maxime cupere ostenderet. at patritii ab his nuptiis repudiato Paulo ad Iordanem Ruscam Comensem se contulerunt: quam obrem Martinus maiorem indies gratiam, exactæque prudentiæ opinionem est consecutus. Ad confirmanda quoque populi studia declinandamque inuidiam, quum sumptuosius ædificare diceretur, omnes operas ad Ticinum conduxit, vt non procul ab Abiato oppido emissarium nauigabile deriuata parte amnis ad urbem perduceret, ad facillimas subuectiones importandorum ex agris fructuum, qua incomparabili commoditate populus in quotidianos vsus perpetuo frueretur. Sub id tempus varia patritiorum manus ab exilio latebrisque remotiorum oppidorum ad Othonem peruenerunt, patriam & sacerdotii sedem ex authoritate pontificis repetentem. Hi nanque in nouam spem quæ exules & miseros nunquam destituit erecti, vndiq.

B